

† Anno (*in maiuscola*) ab Incarnatione domini nostri Iesu christi Millesimo ducentesimo octogesimo, septimo Dominante domino nostro Karolo magnifici principis Salerni primogenito Regnorum Ierusalem et Sicilie *etc.* domino domini sui anno secundo. et decimo die Mensis Novembris quintedecime Indictionis Aput Barolum Quoniam cunctis Ecclesiarum Rectoribus Illud debet esse principium, ut per animarum curam earum regimini commissarum utilitatem commisse sibi. Ecclesie in quantum eis possibile fuerit vigilantibus studio studeant procurare ut sicut specialibus non destituuntur auxiliis sic temporalibus proficiant incrementis. Hoc nos igitur Senioricius de santa cruce humilis Archipresbiter et Capitulum Maioris Ecclesie Sante Marie de Barolo, ante oculos habentes et conscientie limites revocantes *etc.* Cum igitur Ecclesia ipsa haberet, teneret et consideret intus in Civitate Baroli domunculam unam fere dirutam et nullam quasi utilitatem dicte nostre Ecclesie afferentem, nec dum ad presens, quando sic diruta existebat, sic etiam reparacionem ipsius, nullius quasi utilitatis spes dicte nostre Ecclesie iungebatur, utile fore comperimus de ea aliquod inire contractum, unde dicta Ecclesia commodum, aliquod sentire valeret Comparsente igitur coram nobis provido et discreto viro Iudice Iohanne pipino de Barolo, ac petente a nobis si eandem domunculam permutare vellemus cum alia domo eidem ecclesie oportuna unde possit eiusdem Ecclesie condicio melior effici, ac parifacto vobis per eum, quo opere Iudex Iohannes paratus erat eidem Ecclesie dare loco permutationis ipsius domuncule unam aliam bonam domum et bene fortem, predictam domunculam nostram per civitatem predictam Baroli et loca alia comunia publice fecimus subastare dicti Iudicis Iohannis nomine non expresso, Ad cuius subastacionis vocem, Iterato etiam per nos per loca predicta facta nullus comparuit per ipsius domuncule condicionem *etc.* Quapropter in presentia Nicolai cavasacci Regalis Baroli Iudicis, Thomasii